



20
An. 25. nov. 29.
EXERCITATIO IVRIDICA
QVAESTIONEM CONTINENS 1767, 41.

AN

INTERCESSIO FOEMINAE
POST MORTEM MARITI SINE
IVRAMENTO FACTA VALEAT

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

PANDECTAR. P. P. ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.

CVRIAE IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC.

LVSAT. INFERIOR. NEC NON FACVLT.

IVRID. ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXI. IAN. MDCCLXVII.

P V B L I C E D E F E N D E T

BVRCKHARTVS FRIDER. SCHROEERVS

DRESDENSIS.

L I P S I A E

EX OFFICINA BREITKOPFIA.



EXERCITATIO IURIDICA
QUESTIONUM CONTINENS

INTERCESSIO FEMINAE
POST MORTEM MARITI SINE
IURAMENTO FACTA VALEAT

AVCTORITATE
H. LUSTIG SCHOL. M. ORDINIS AVCTORITATE


P R A E S I D E

D. ERID. GOTTLIEB. ZOLLNERO

AVCTORITATE R. P. ERID. GOTTLIEB. ZOLLNERO
AVCTORITATE R. P. ERID. GOTTLIEB. ZOLLNERO
AVCTORITATE R. P. ERID. GOTTLIEB. ZOLLNERO

IN AVDITORIO ICTORVM

AVCTORITATE R. P. ERID. GOTTLIEB. ZOLLNERO



Handwritten initials or signature in brown ink, possibly 'GZ' or similar.





AN
INTERCESSIO FOEMINAE POST
MORTEM MARITI SINE IVRAM.
FACTA VALEAT.



§. I.

Omne ius quo utimur ait Ictus. l. 1. ff. de statu homin. vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Exinde euenit, vt plerique in proponendis primis iurisprudenciae praeceptis, tria sibi fingant obiecta iuris, personas nempe, res et actiones: quod tamen minus recte dictum nobis videtur, cum actiones, si rite considerentur, non sint obiectum, sed tantum medium consequendi id, quod vel circa rem, vel personam, nobis debetur. Hanc ob causam Imperator *princ. l. de Action.* dicit *actionem nihil aliud esse, quam ius persequendi in iudicio, quod nobis debetur.* Iura quae personis competunt, dependent a statu ciuili, et tali ratione differt persona ab homine, quod huic in iure nostro nullus competat status. Cum enim status sit conditio, quae in ciuitate certa et diuersa iura tribuit subditis, prono alueo fluit, quod serui, qui sub notione hominum comprehenduntur, et quorum, teste *MARCIANO l. 5. pr. ff. de stat. hom.* vna est conditio, ad statum ciuilem, in regula prouocare nequeant.

4 *An Intercessio foeminae post mortem mariti*

§. II.

Diuerſa ad perſonas ex ſtatu redundare iura, ex definitione, quam ſuppeditauimus, conſtat, eiusque rei cauſam, qualitas perſonae tribuit. In multis enim iuris noſtri articulis deterioreſe eſſe conditionem foeminarum, quam maſculorum, teſtatur P A P I N I A N V S l. 9. ff. de ſtat. hom. in aliis vero conditionem foeminarum meliorem eſſe, docet quotidiana experientia. Non equidem huius loci eſt, omnes, ſingulosque recensere caſus, id tamen aſſerere liceat, non dari certum catalogum praerogatiuarum, quae vel maſculis, vel foeminis competunt, ſed ſoli arbitrio Principis eſt relinquendum, quae beneficia huic, vel illi generi in republica concedere velit. Eſt enim Princeps ſupremus in republica legiſlator, ab eius ſuperioritate dependet exemptio legis, quae exceptionem in regula conſtituit. Hinc vt vno tantum exemplo vtamur, quamuis ad ſucceſſionem feudalem, ſecundum formam conſuetam ſolus maſculus et quidem habilis admittatur, nihilominus tamen etiam foeminae, ſi Principi placet, huius ſucceſſionis ſiunt participes, quam ob cauſam ſaepe numero dantur feuda foemina.

§. III.

Ad priuilegia, quae ſolis foeminis legibus dantur, refertur potiſſimum S C T u m V e l l e i a n u m, quo interceſſiones foeminarum penitus prohibentur. Temporibus Auguſti, mox deinde Claudii iam aderant edicta, ne foeminae pro viris ſuis intercederent, poſtea M. Silano et Velleio Tutore Conſulibus S C T u m conditum, quo foeminis, alienam obligationem in ſe recipientibus, pleniffime ſubueniebatur l. i. ff. ad S C T u m V e l l e j. Ratio huius prohibitionis partim imbecillitatem foeminarum, quae facillimo modo ad fideiubendum poterant induci, et exinde graue animaduertebant praeyudicium, reſpiciebat, partim naturae, et qualitati negotii erat conformis. Fideiuſſio enim olim, cum ex pactis nudis nulla haberet actio locum, per ſtipulationem contrahebatur, quae erat munus virile, a quo foeminae excludebantur.

§. IV.

§. IV.

Haec prohibitio, quae SCTo includebatur, non solum effectum excipiendi, sed etiam agendi dabat, quam ob causam foemina id, quod ex fideiussione praestiterat creditori, tanquam indebite solutum, repetere poterat. Naturae equidem conditionis indebiti hoc repugnare videtur, cum eadem actio circa indebitum naturale tantum versetur, quod tamen, si foemina ex pacto obligationi satisfecit, non existit. Ast si legem 40. ff. de condit. indeb. paulo penitus considerare velimus, aliud ferendum est iudicium. Distinguendum nempe est, vtrum exceptio, eius causa, cum quo agitur, vel in odium eius, cui debetur, datur: in priori casu repetere solutum licet, in posteriori conditio penitus cessat, et haec est interpretatio regulae, quam ICTus proponit: *qui exceptionem perpetuam habet, solutum per errorem repetere potest.*

§. V.

Varii sunt casus quibus, foemina, non obstante SCTo Velleiano, ad soluendum debitum, legum auctoritate teneatur, ex quibus tantum vnum in praesentiarum decidere, est intentio. Decedit nempe Titius, qui Caio debet mille, vidua relicta pro eodem debito intercedit, et solutionem in subsidium promittit creditori. Quaeritur: Vtrum vidua SCTo et authenticae si qua mulier, Cod. ad SCTum Velleianum renunciare, eandemque renunciationem iuramento confirmare teneatur, vel an omissa hac renunciatione, simpliciter ex fideiussione conueniri queat.

§. VI.

Diuersa ICTorum, hac de re est sententia, eademque argumentis haud exiguum probabilitatis gradum attingentibus, suffulta. Nonnullis placet distinctio, vtrum ante trigessimum diem, vel hoc elapso, vidua intercedendo se reddiderit obligatam; in posteriori casu existimant, exceptionem abthenticae si qua mulier equidem, quoniam causa et ratio legis, nempe suspicio metus, aut etiam per-

fussionum cessaret, non obtinere; attamen exceptioni S^Cti Velleiani adhuc locum esse, cum, si non pro marito, tamen pro eius hereditate iacente fideiubeat; eamque ob causam, viduam S^Cto Velleiano eo modo, quem determinat, Decisio Electoralis de a. 1746. renunciare debere censent. Sed quamvis haec sententia ab I^Ctis Consummatissimis, quos pie veneramus, prolata, eatenus, quatenus illi renunciationem S^Cti desiderant, nec simpliciter obligatam esse volunt viduam, reprobata simul opinione, quod haec intercessio degeneret in constitutum, omnibus numeris est absoluta, dubitandi tamen adhuc remanet ratio, vtrum renunciatio authenticae si qua mulier, quae intercessionem pro maritis vetat, iure possit omitti? Hereditas enim iacens secundum iuris Romani decisionem est res nullius; hinc nec ille, qui ex eiusmodi hereditate aliquid aufert l. 3. ff. de crim. exp. hered. committit furtum, sed tantum poena extraordinaria afficitur. Ex ea fluit, viduam non intercedere pro hereditate iacente, deficit enim debitor principalis, cum talis hereditas pro re nullius habeatur, priore vero deficiente, fideiussio non potest concipi. Accedit etiam, quod vidua in gratiam creditoris intercedat, et, cum is cum defuncto marito negotium celebrarit, vidua eius obligationi minus principaliter accedat maioremque securitatem promittat, exinde fit, vt foemina debitum mariti, nullo respectu habito ad hereditatem iacentem, cum qua nunquam contraxit creditor, in se suscipiat.

§. VII.

Alii, qui consilium Macuii P. VII. Dec. 229. sequuntur, in ea versantur opinione, necessariam equidem esse renunciationem S^Cti Velleiani, quando vidua post mortem mariti intercedat, eandem vero sine praestatione iuramenti subsistere censent. Rationem asserti duplicem esse volunt, 1) quod mulieri nunquam esset prohibitum, mariti debitum, ex pietate, seu pro liberanda eius fama atque fide, in se recipere, et ex lege final. C. ad S^Ctum Vellei. in qua non locum habet S^Ctum, si foemina pro dote fidei-

iusserit, construunt regulam : Cessare beneficium muliebre, vbi pium est debitum, quod a muliere recipitur, eandemque regulam ad praesentem casum adplicandam esse, adfirmant. Quod vidua libere agere possit, nec metuendae sint blanditiae atque persuasiones, quibus a marito, ad intercedendum pariter et renunciandum inducatur. Quam ob causam STRYKIVS in vsu moderno ad *lib. XVI. Tit. 1. §. 15.* probat responsum Facultatis Rostochiensis, quae intercessionem foeminae, ommissa renunciacione iurata, pro valida agnouit, additis rationibus : Immassen in solchem Fall es einerley ist, ob eine Frau sich vor einen Fremden, oder vor ihren verstorbenen Ehemann, verschrieben, weil durch dessen Tod sie in die völlige Freyheit gesetzt worden, zu thun und zu lassen, was ihr beliebet.

§. IIX.

Sed hoc assertum, cum a diuerso ad diuersum nulla valeat constantia, rem nondum decedit, potius maioribus dubitationibus praebet ansam. Non equidem negamus auctoritatem legis finalis C. ad SCTum Velleianum, in qua Imperator fauet piae causae, et exceptionem SCTi improbat, sed extensionem huius rescripti ad praesentem casum merito negamus. Si enim esset verum, quod renunciacione iurata non esset opus, quando foemina pro conseruanda fama mariti intercederet, prono alueo sequeretur, renunciacionem, et in eo casu, si pro marito viuente foemina fideiussionem interponit, sine iuramento subsistere, semper enim, vt conseruetur dignitas et existimatio mariti, intercedit, et tali ratione generaliter obuersare tur pium debitum, quod tamen de iure defendi non potest.

§. IX.

Verior et legibus conuenientior nobis videtur sententia, intercessionem foeminae pro marito post eius obitum factam, aliter non valere, nisi vidua SCTo Velleiano et beneficio ex authentica C. si qua mulier ; ipsi competenti, mediante iuramento, renunciauerit. Eius rei probandae causa, sequentes licebit afferre rationes. Aduersae sententiae patro-

patroni in ea versantur opinione, renunciationem iuratae ideo cessare, quia deficerent persuasiones, et blanditiae, quibus mariti vxores non solum ad intercedendum, sed etiam renunciantium alias inducere solerent. Quamuis circa adductam hanc rationem maximopere esset dubitandum, ex legum enim auctoritate apparet, hanc non esse veram et principalem causam, ob quam iuramenti religio desideretur, in praesentiarum, tamen cum nobis conducatur, eam pro vera agnoscimus, et ex eadem fundamentum asserti nostri probamus. Nonne enim maritus in ultimo momento mortis vxorem blanditiis eo perducere potest, ut exsolutionem debitorum, ne fama eius post mortem praesudicium sentiat, promittat, et fidem huius rei gratia interponat. Mortuo marito vidua religionis non inmemor, imo superstitione, quae muliebri, sexui est propria, commota, fideiussione se adstringit creditori et obligationem mariti in se suscipit? Quis dicere poterit, hanc intercessionem, quam viuenti marito promiserat, sponte et sine vllis persuasionebus esse factam? Quis iure negare poterit, renunciationem iuramento esse confirmandam, ne exceptio Scti Velleiani noceat creditori, cum eadem legis ratio eandem quoque legis interpretationem desideret.

§. X.

Altera probandi ratio ex ipsa legis indole est defumenda. Constat ex Nouella 134. c. 8. ex qua concepta est authentica *si qua mulier, C. ad Sctum Velleianum*. intercessiones foeminarum pro maritis penitus esse prohibitas, ait enim Iustinianus. *Et illud vero praesudicimus pro subiectorum qualitate corrigere, ut si qua mulier crediti instrumento consentiat proprio viro, aut scribat et propriam substantiam, aut se ipsam obligatam faciat, iubemus nullatenus huiusmodi valere aut tenere, siue semel, siue multoties huiusmodi pro eadem re fiat, siue priuatum, siue publicum sit debitum, sed ita esse, ac si neque scriptum esset, nisi manifeste probetur: quia pecunias in propriam ipsius mulieris utilitatem expensae fuerint.* Apparet itaque ex hac lege, Imperatorem intercessionem pro maritis ita interdixisse, ut nulla valeat exceptio, nisi quae versionem in rem vxoris praesuppo-

supponit. Recessit ab hoc rigore obseruantia fori, et ex Iure Canonico argumento *c. 9. et 28. X. de Iureiur.* exceptionem recepit, vt valeat intercessio, quando mediante iuramento foemina huic authenticae in specie renunciauit. Et quamuis de intentione Pontificis, an in vtroque capite id dicere voluerit, cum singularis proponatur casus, summo pere sit dubitandum, quod praesertim Stryckius in Vfu moderno ad SCTum Velleianum §. 9. non sine successu fecit, vfu tamen fori euenit, vt etiam legislator Saxonicus P. II. Const. El. XVI. eandem opinionem approbauerit, et sua dispositione validam effecerit. Hinc inde nobis dicitur regula. Intercessiones foeminarum aliter non valere, nisi renunciauerint iuramento SCTo Velleiano, quod demonstrant verba Constitutionis citatae. Es wäre denn solche Schuld ganz oder zum Theil in ihren Nutzen verwendet, oder sie hätte dem beneficio SCTi Velleiani mit dem Eyde renunciert. Legem correctoriam esse hanc constitutionem non in dubium vocari potest, recedit iterum a iure ciuili, quod huius exceptionis per quam in genere validae efficiuntur fideiussiones foeminarum, nullam facit mentionem, sed eas indistincte, nisi probetur versio in rem, pro inualidis declarat. ICTo corrigere, vel incongrua interpretatione legem emendare non competit, dubium enim non est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Cum itaque tam in Nouella 134. cap. 8. quam in Constitutione, imo decisione nouissima de anno 1746. nulla inueniatur distinctio, vtrum foemina viuente marito, vel eo mortuo, fideiussionem pro eius debitis susceperit, nulla dari potest ratio, cur in posteriori casu iniurata renunciatio viduam fideiubentem stringat. Generaliter enim dictum generalem efficit interpretationem et voluntas Principis quae pro ratione stat, singulari quadam opinione non potest inuerti. Consentit nobiscum CARPZOVIVS P. II. C. XVI. def. 3.

§. XI.

Hac occasione oritur quaestio vtrum renunciatio legitimo modo non suscepta, morte foeminae renunciantis fiat valida, vel, vtrum heredibus, quando ex fideiussione conueniuntur, competat exceptio SCti Velleiani. Non deficiunt, qui heredes a beneficio excipiendi excludunt, et contra eosdem pronunciant. Ad probandam opinionem sequentibus vtuntur rationibus 1) quod mors sit loco iuramenti, et hanc ob causam renunciatio iniurata dici nequeat 2) intercessionem pro marito sapere naturam donationis inter coniuges, quae licet inter ipsos coniuges sit prohibita, si tamen non reuocetur per mortem donatoris *l. 9. et 10. C. de Donat. inter vir. et vxor.* confirmatur, quam sententiam potissimum fouet BERLICHIVS *P. II. Conclus. 19. num. 68.* Ast rationes hae adductae nihil probant, prima enim plane insufficientis est, nec legum auctoritate nititur. Secunda ex aduerso ad praesentem casum non quadrat: a donatione enim inter virum, et vxorem quae solos coniuges concernit, ad fideiussionem quae circa negotium cum tertio celebratum, versatur, non valet applicatio. Potiorem hinc inde putamus sententiam, mortem foeminae renunciantis nihil efficere, sed haeredibus exceptionem SCti Velleiani iure competere. Ad stipulatur nobis non solum notissima iuris regula: Quod ab initio est inualidum, ex post facto non potest coualescere, sed extant quoque leges, quae huic decisioni patrocinium praestant. Ita enim PAVLVS *l. 7. §. 1. ff. de exceptionibus* ait: *Rei autem cohaerentes exceptiones etiam fideiussoribus competunt;* et paulo post: *intercessionis quoque exceptio.* Et Imperator *l. 20. C. ad SCtum Velleian.* expressis verbis dicit. *Haeredes quoque mulieris aduersus creditorem eadem exceptione, quae ex SCto introducta est, uti posse, dubium non est.* Non equidem ignoramus sententiam aduersariorum, existimantium, has leges tantum differere de casu, quando foemina plane non renunciauerit, aliam vero esse causam, si renunciatio facta

facta sed non legitimo modo. Illis vero replicando respondemus, id quod illegitime est factum, pro non facto habetur, nam nulli exinde resultare possunt effectus. Nec valet exceptio quae fit contra regulam, nisi expressis legibus, aut ex analogia iuris probetur, cum praesudicia, vel singulares opiniones legem non vincant.

§. XII.

Sed quid sentiendum est de eo casu, si foemina, quae, viuente marito, pro eius debitis intercedit, post mortem, usuras creditori soluat, an intercessionem renouasse videatur. Consensus equidem duplici declaratur modo, vel expresse per litteras, et verba, vel tacite ipso scilicet facto dummodo hoc sit liquidum; Hinc *l. 2. ff. de pact. §. 1. Si debitori meo reddiderim cautionem, teste Paulo, videtur inter nos conuenisse, ne petere profuturamque ei conuentionis exceptionem, placuit.* Pari ratione, et is, qui usuras creditori soluit, ad exceptionem non numeratae pecuniae, ob agnitionem debiti, tacite factam, prouocare non potest: Ait enim Imperator *l. 4. C. de non numer. pecun. cum fidem cautionis agnoscens, etiam solutionem portionis debiti, vel usurarum feceris, intelligis, te de non numerata pecunia nimium tarde quaerelam deferre.* Cui et accedit regula notissima iuris: taciti eadem est virtus ac expressi. Ex quo fundamento LEYSERVS *Spec. 172. Med. §.* foeminam obligatam esse censet, eamque opinionem Responso Ictorum Helmstadiensium, qui pro ratione decidendi, eam, weil die Frau durch Bezahlung der Zinsen nach des Mannes Tode, ihre Obligation gleichsam erneuert, agnoscunt, confirmat.

§. XIII.

Haec quamuis veritatis speciem prae se ferre videntur, si tamen paulo penitius considerentur, adaequatam decisionem minime efficiunt. A debitore enim qui usuras creditori soluit, ad intercessionem foeminae, non

12 *An Interc. foem. post mort. mariti sine iuram. etc.*

valet applicatio; Respectu enim debitoris, praesumebatur negotium iure celebratum, et deficiebat tantum probatio, quam debitor facto suo, dum praestabat vsuras suppeditabat; Respectu foeminae vero ab initio nulla ad erat obligatio; intercessio viuente marito, legitimo modo non erat facta, sola itaque praestatio vsurarum, post mortem mariti, negotio pondus addere non poterat, praesertim cum in LL. eadem exceptio non reperiatur. Hinc inde potiori iure affirmamus, solutionem vsurarum nihil efficere, sed viduae nihilominus exceptionem SCti Velleiani competere censemus.




ULB Halle
003 719 014

3







B.I.G.

Farbkarte #13

20

25. Nov. 29.

1767, 41.

EXERCITATIO IVRIDICA
QVAESTIONEM CONTINENS

AN

INTERCESSIO FOEMINAE
POST MORTEM MARITI SINE
IVRAMENTO FACTA VALEAT

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. 200.

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

PANDECTAR. P. P. ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.
CVRIAE IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC.
LVSAT. INFERIOR. NEC NON FACVLT.
IVRID. ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXI. IAN. MDCCLXVII.

P B L I C E D E F E N D E T

BVRCKHARTVS FRIDER. SCHROEERVS

DRESDENSIS.

L I P S I A E

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

